

442* ad interiora cordis tui penetrare faciat quatenus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere et temporali regno iustis moderationibus aeternaliter conregnare ei maerearis qui sine peccato rex regum vivit cum Deo patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Et haec quidem fiunt ad altare beati Mauricii nam ad altare beati Petri nemo inungitur nemo ordinatur nisi romanus pontifex solus. His completis Caesar cum episcopo cardinali et diaconis ad pontificem; diaconi acceptis suis dalmaticis et mitris in manibus vadunt ad reverentiam Papae qui descendens de sede sua procedit ad altare supplicabundus more solito et recipit ad osculum oris et pectoris tres presbiteros cardinales assistentes genuflexo super suum faldistorium permanente. Facta confessione pontifex accedit ad altare. Ministri Caesaris afferunt gladium cum sua vagina et cingulo, coronam, sceptrum et pomum, danda suo tempore imperatori, quae per sacristam et clericum caerimoniarum locentur super altare. Interim vero dum pontifex facit confessionem incipit chorus introitum et kyrie. Pontifex vero in sede eminenti stans sine mitra legit introitum et procedit in missa ut alias usque ad dictam epistolam et graduale. Sed post orationem diei dicit pro ipso imperatore hanc orationem: « Oremus Deus regnorum omnium et christiani maxime protector imperii da servo tuo Carolo imperatori nostro triumphum virtutis tuae scienter recolere ut qui tua constitutione sit princeps tuo semper munere sit potens. » Pro secreta ». Suscipe domine hostias Ecclesiae tuae pro salute famuli tui Caroli supplicantis et protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula ut superatis inimicis secunda tibi serviat christiana libertate. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum etc. ». Post comunem: « Deus qui ad praedicandum aeterni regni evangelium romanum imperium preparasti praetende famulo tuo imperatori nostro Carolo arma coelestia, ut pax Ecclesiae nulla turbetur tempestate bellorum. Per dominum nostrum Jesum Christum etc. ». Dum cantatur graduale, Caesar descendens de suggestu venit ad pedes sanctissimi domini nostri deducentibus cum duobus diaconibus cardinalibus paratis, et unus ex clericis camerae ex altare accipit gladium cum sua vagina et illud ad priorem diaconorum stantem ante pontificem ad dextram portat, quem ponti-

443 fex vagina extractum de manu ipsius diaconi accipiens imperatori ante se genuflexo in dextram manum tradit ipse cum mitra sedens, ac dicens:

Caesar vadit ad papam

gladium cum vagina et cingulo coronam, sceptrum et pomum

principium missae pontificis

oratio pontificis pro imperatore

Caesar vadit ad pedes pontificis